



1735, 25

FACULTATIS JURIDICÆ
 DECANUS,
 JO. PHILIPPUS
 Streit, J. U. D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
 ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-
 RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM
ad L. moribus 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

AD DIEM XVIII. NOVEMBR. MDCCXXXV.
 LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME
 INVITAT.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.



Conjuges dulci connexi sunt vinculo, quod ligat in securitatem, adstringit in amorem, facit, ut quod bonum semel electum est, semper possideatur; magnum certè matrimonii bonum est, semper possideatur; magnum certè matrimonii bonum est, consonantia animorum ac voluntatum. Hæc symphoniâ nihil est suavius, nihil jucundius, si contemperetur pari fide, pari labore, si moderentur læta tristibus, tristia lætis. Tunc mæstitiæ nubes, si obsideat frontem & animum mariti, abstergit eam uxor, si hæc aliquâ perturbatione obducatur, componit eam ad serenitatem maritus. . . . Juxta siracidem, *mulier fortis oblectat virum suum, & annos vite illius in Pace implebit. c. 26. v. 1.* in utraque fortuna alter alteri opitulatur. Sed quæ tam felix ex ullius mortalium ordinis conditio, inter quos non gliscant aliquando, cujusdam simultates scintillæ, ad quas, ne cedant in scandalum, & offensionem etiam publicam & imminutionem amoris, reverentiæ & famæ, sopiendas, jam olim receptum fuit, ne conjuges mutuato amore spoliarentur, *inquit Ulpianus in L. 1. ff. de donat. inter virum & uxorem. ne inter virum & uxorem donationes valerent.* Et
sex-

sextus Cæcilius istam causam adjiciebat, quia sæpe fa-
 turum esset, ut discuerentur matrimonia, si non donaret is
 qui possit: atque ea ratione eventurum, ut venalia essent ma-
 trimonia: *L. nec esset eis studium d. t.* Hæc ratio & ora-
 tione Imperatoris Antonini Augusti electa est, nam ita
 ait: *Majores nostri inter virum & uxorem donationes pro-*
hibuerunt: amorem honestum solis animis æstimantes, fame-
etiam conjunctorum consulentes: ne concordia pretio concii-
liari videretur, neve melior in paupertatem incideret, dete-
rior ditior fieret. L. Hec ratio. 3. eod. Est autem dona-
 tio inter virum & uxorem actus aliquis jure prohibitus,
 quo conjux liberalitatem suam erga alterum conjugem
 exercet. *König ad Decretales de Donat. inter vir. & uxor.*
§. 1. n. 12. Ad quam, ut in ea procedat juris prohibi-
 tio, requiritur, ut fiat constante matrimonio, aut si fiat
 ante matrimonium contractum, effectus ejus differtur
 in tempus matrimonii jam initi. *L. Quod sponsæ 4. Cod.*
de donat. ante nupt. Idem enim est aliquid fieri tempore
 inhabili, ac in tempus inhabile ac prohibitum referri.
L. eum qui ff. de jurisdict. item requiritur ut subsit
 ratio prohibitæ donationis. *Zæf. ad Dig. de donat. inter*
vir. & uxor. n. 2. Requiritur insuper, ut dicta donatio
 fiat solius liberalitatis causâ. Hinc donatio quæ fit re-
 muneracionis gratiâ, valida est. *L. quod autem §. si vir &*
ibi Gloss. d. t. Dec. Consil. 202. Col. 3. n. 6. & Consil. 232. n. 6.
in fin. ubi concludit donationem inter maritum & uxorem
 valere propter merita, etiamsi essent obsequi alia
 in gravi & longa infirmitate mariti posita, quæ tamen
 probentur, vel saltem in specie exprimantur oportet.
arg. L. 15. §. 1. de manumis. vind. Porro requiritur, ut
 conjux donans ex donatione fiat pauperior, & acci-

piens locupletior. *L. 25. L. 28. §. 3. L. 32. §. 9. L. 50. §. 1. d. t. ff. de donat. inter vir. & ux.* Quod etiam procedit de jure canonico *per cap. 8. X. d. t.* Tunc autem donator dicitur fieri pauperior, quando dat, sive donat de substantia sua, ita ut diminuatur patrimonium suum. *L. si sponsus 5. §. si maritus. ibi: neque enim pauperior fit, qui non acquirit, sed qui de patrimonio suo deposuit, sive dedit ff. d. t.* Si verò maritus donat de Patrimonio acquisito, seu donat illud, quod posset acquirere; ut si repudiet hereditatem, donationis causâ, ut ea deferatur uxori substitutæ. Vel si fuerit relictum, vel legatum uxori cum onere, ut det aliquid marito, & hic donet illud uxori, tunc valet donatio, non enim fit pauperior. Sicut etiam tunc, si maritus uxori donet, ut comptior & ornator incedat, quia suâ potius, quam uxoris causâ dedisse creditur. *L. si ut certò 5. §. interdum ff. commod.* Uxor etiam si marito donet ad consequendam dignitatem, valet talis donatio *L. 41. §. 2. seqq. ff. de don. int. vir. & uxor.* illa enim fit ditior, ex quo ex dignitate mariti ei splendor ac honor accedit *L. 8. ff. de Senator.* Quamvis autem donatio inter virum & uxorem regulariter invalida sit, attamen ex communi interpretum sententia firmatur morte donantis, si moriatur ante donatarium, non factâ ante mortem, tacitâ vel expressâ revocatione doni. *dist. cap. 8. Tacitâ, si divorcium inter conjuges sequatur. L. sed interim. 11. §. fin. L. cum his status. 32. §. si divorcium. ff. de donat. inter vir. & ux. L. A marito. 18. Cod. eod. nisi ex mutuo consensu & beneplacito factum esset divorcium, aut aliunde constaret donantem velle, ut nihilominus donatio valeat.* Porro, si donans vendat, permutet, leget vel donet
can-

eandem rem alteri, imò si pignis eam tradat, vel speciali hypothecâ subjicent, tacite censetur revocata donatio, etiam tunc, si conjux donatarius mores mutet in detrimentum donantis. *Expressâ*, si donator eam revocet, & v. g. dicat, se pœnitere donationis à se factæ. *L. cum hic status. §. ait oratio. ff. d. t.* Confirmatur etiam donatio conjugum invalida juramento donatoris: quia licitum est conjugi, testem donationem non revocare; ergo etiam licitum, & consequenter obligatorium est juramentum tale. *per cap. quamvis. de pact. in 6.* Ita communis apud *Canis. in cap. fin. d. t. & Gail. t. Observ. 40. n. 2.* videtur tamen securius esse in particulari rem æstimationi, seu arbitrio judicis committendam esse, qui arbitrari debebit, an in facto donatio sit excessiva, vel talis, quæ amorem & concordiam conjugum lædere, vel studium pedis imminuere, aut liberis præjudicare possit, vel non. Priori casu verius censetur donationem juramento non confirmari *arg. cap. cum quidem. 12. de jurejurando, cum Gloss. ibidem.* Utrum autem facta donatio inter conjuges perlativas, seu inter eas, qui putant se esse conjuges, valeat, si quærat? Videtur Respondendum, quod, si utrique conjugi constet matrimonium esse nullum. v. g. ob impedimentum dirimens, tunc donator non possit repetere rem donatam, sed fiscus eam sibi vindicare possit, ut expressè habetur in *L. cum hic status 32. §. fin. & ibi Gloss. ff. d. t. Brunnem. ad dict. L. n. 17.* Quando verò solus conjux donans scivit, matrimonium esse nullum, & ignorantibus conjugibus aliquid legavit, valet legatum, illudque uxor sibi acquirit, nec potest fiscus id ab eo auferre. *argum. L. ult. ff. de legat. 1. & est commu-*

nis DD. sententia. An autem idem procedat in acquisitione à conjugè ignaro nullitatis matrimonii, per donationem, vel aliam contractum inter vivos, ut si conjugus conscius nullitatis matrimonii donavit aliquid ignorantibus, an donatio illa acquiratur, conjugibus bonâ fide ignorantibus, an fisco competat repetitio, dubitatur, de quâ materiâ, occasione dict. L. Moribus 1. ff. de donat. int. vir. & uxor. quam pro lectione cursoriâ elegit, pluribus differet

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. CHRISTIANVS *Sottbelff*
STOLTZE,

Natus est Glauchæ in oppido ad Muldam in Tractu Illustrissimorum Comitum de Schoenburg sito, die III. Maj. a. r. f. M DCC XI. Patre Dn. JOANNE SIGISMUNDO STOLTZE Archidiacono ibidem, Matre ANNA CHRISTINA nata WERNERIN. Avum Paternum habuit Dn. M. JOANNEM SIGISMUNDVM STOLTZE Pastorem Primarium Francobergensem, Dioceseos Chemnicensis Adjunctum & Seniorem. Aviam Paternam MARIAM ELISABETHAM *ex nobilissime Promniziorum* ortam, Avum maternum Dn. ADAMVM WERNERVVM Diacanum Werdensem Aviam, SOPHIAM WERNERIN, Proavum Paternum Dn. SIMONEM JONAM STOLTZE, Consulem Pirnensem, Proaviam MAGDALENAM natam LEHNARDTIN, Proavum maternum Dn. JOANNEM GEORGIUM PROMNIZ JCTum suo tempore celebrem. Proaviam maternam ELISABETHAM natam RAFFVSSIN. Omnibus jam dudum pie defunctis. Nondum ephemeris


bis excessus, cum orbus Parentibus factus ad Virum
Magnificum Dn. D. JOANNEM Gottlob STOLTZE,
Inferioris Lusatiae Superintendentem Generalem Pa-
truum Optimam Lubenam vocabatur, ibique in do-
mo & victu tanquam ab ipso Parente benigniter ale-
batur. Adeo, quod semper gratissimo animo agno-
scit, benigna erat praedicti hujus Nutritoris in filium
suum quasi adoptivum propensio, ut omnia curaret,
quae vitae culini, quae bonis studiis inservirent. Prae-
ter domesticam institutionem usus est schola Lube-
nensi & in studiis philologicis profecit Rectore M.
TSHORN & Correctore M. PILARICK. Peractis
Lubenae X. annis in studiis Philologicis valedixit, Aca-
demiampque Illustrem Lipsiensem anno MDCCXXX.
petiit. A Patre ad Patrem commigravit Lipsiae enim
Fratrem germanum Dn. D. STOLTZE, alterum nu-
tritorem moderatoremque habuit ejusque hospitio
continuo usus est. In Philosophicis Dn. M. JOAN-
NEM ABRAHAMVM BIRNBAVM & Dn. Dr. AVGV-
STVM FRIEDERICVM MVLLER, in jure, cui studio
se dicavit Illustr. Dn. D. & P. RIVINVM, GEBAVE-
RVM, & SIEGEL in jure civili & Dn. Dr. BAVERVM
in jure feudali Praeceptores habuit. Imprimis multa
debere Germano suo Dn. Dr. STOLZE, cujus lectioni-
bus privatis ac privatissimis per lustrum fere assiduus
fuit auditor, grato animo profiteatur. Profecit quoque
ita in Studio suo ut die XI. Decembris MDCCXXXIII.
in auditorio Jctorum Lipsiensi publicam dissertati-
onem de mariti in bonis uxoris paraphernalibus sibi
competentis ususfructus renunciatione, qualitati para-
phernali non nociva sub Praesidio Germani Dn. Dr.

STOL-

STOLTZE habuerit, deinde ad forum se contulit, si-
mulque Perillustri Dn. HEINRICI ab EINSIEDEL
Justitiarü officio fungens causas in foro perorat.
Tandem Facultatem juridicam hujatam accessit, & ad
consuetum examen rigorosum admitti petiit, admissus
textus ex utroque jure ante examen transmissos doctè
resolvit, & ad quæstiones propositas ita respondit ut
ad honorum Academicorum gradus rite capeffendas
publicâ cathedra eidem aperta fuerit, in quâ proxima
die veneris, quæ erit XVIII. Novembris Lektionem
cursoriam ad *dist. L. moribus 1. ff. de donat. inter vir. &
uxor.* eâque finitâ disputationem inauguralem

DE
MARITI OBÆRATI IN BONIS
VXORIS SIBI COMPETENTIS VSVS-
FRVCTVS RENVNCIATIONE, QVA-
TENVVS VALEAT?

habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Domi-
nus Rector, cæterique Domini Proceres & Cives Aca-
demici perhumaniter invitantur. Publ. sub Sigillo Fa-
cultatis Jurid. XIII. Novembr. M DCC XXXV.







Erffest, Diss., 1735


ULB Halle 3
005 367 840



v>18







28

1735, 25

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
JO. PHILIPPUS
Streit, J.U.D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM
ad L. moribus i. ff. de donat. inter vir. & uxor.

ET
DISSERTATIONEM INAUGURALEM
AD DIEM XVIII. NOVEMBR. MDCCXXXV.
LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME
INVITAT.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.